


Differt. miscell.
vol. 51. f. IX. 33

BIBL:
HENRICA
H. LEENSIS.





1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31

1819
 1819
 1819




Diff. misc. 51

(VI 215)

Scripta publica Vitebergensia. 1576 - 1764

- | | |
|--|--|
| 1. Engels, Engelb.: ecclesia 1576 | 32. Triller, Dan. W.: de studio 1754 |
| 2. Tileman Job.: de meteoris 1611 | 33. " " de gibbo " |
| 3. Euenius, Sig.: de virt. principis 1612 | 34. Leibich, Hen. A.: Apollov 1755 |
| 4. " " de fortitudine " | 35-38. Bulsius, G. C.: Monumenta 1757-64 |
| 5. Hunnius, Nic.: de signis 1617 | |
| 6. Kintlemus, Val.: Decas 1625 | |
| 7. Martini, Jakob.: Infirmatio 1627 | |
| 8. Scharf, Joh.: praescientia 1648 | |
| 9. " " Responsio 1649 | |
| 10. " " de conversione 1652 | |
| 11. Wendeler, Mich.: de imperiis 1655 | |
| 12. " " de rep. tunica " | |
| 13. Meisner, Joh.: Synopsis 1656 | |
| 14. Wendeler, Mich.: de imperiis 1657 | |
| 15. Deubalmann, Joh.: Vindiciae " | |
| 16. Quenstedt, J. A.: de passione 1658 | |
| 17. " " Passio " | |
| 18. Strauch, Aegidius: Pentas 1660 | |
| 19. " " Jus 1663 | |
| 20. Waechter, Jakob: de oligantia 1666 | |
| 21. Zentgraf, Joh. Jo.: de interregno 1668 | |
| 22. Fugmann, J. C.: de statibus 1671 | |
| 23. " " philosophia 1676 | |
| 24. Calovius, Abr.: Collegium. 1679 | |
| 25. Graun, Kaspar Hen.: Causas 1680 | |
| 26. Paschius, Joh.: Mortem 1685 | |
| 27. Eilmay, G. Chr.: Valorem 1687 | |
| 28. Wernsdorf, Gottl.: Quod liber 1702 | |
| 29. Chladenius, Mat.: Studium 1720 | |
| 30/31. Schorner, J. F.: de Jesuitis 1723 | |



Hennemanns, Dr.: St. juris Hennemanns

28
1002
Q. D. B. VI!

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

ELECTORATUS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC.

QVOD LIBER SAPIEN-
TIÆ ET ECCLESIASTICUS
PRO CANONICIS NON SINT
HABENDI,

CONTRA

G. ARNOLDVM,

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Extr.

repetita orthodoxorum sententia,

idoneis rationibus demonstrabit

AUCTOR

ANDREAS Schubert |

Elbingensis,

d. XXI. Decembr. Anni Acad. Jubil. cl. 10 ccll.

WITTEMBERGAE, Literis CHRISTIANI GERDESII.



UNIVERSITÄT
IN WÜRZBURG
GOTTFRIED WERNER
VON
DREI
UND
ZWANZIG
JANUAR
1800





§. I.



Tfi sua pro impudentia fanatici Ecclesiam nostram variis subinde & calumniis onerant, & convitiis incesunt; non tamen quicquam facile in eam vel indignius ingeri vel contumeliosius poterat, quam quod eam & reliquias *Papatus* contaminatam dicunt, & odio *Babelis* compellant nomine. Initium calumniandi *Th. Münzerus* fecit, homo improbus, & ad quodvis dicendum, audendumque projectus, cujus vestigiis ut reliqui fere institerunt fanatici, sic tantum non communis eorum tessera fuit his titulis lacerare Ecclesiam. Jam etfi multis morum corruptelis nostram laborare Ecclesiam nulli diffiteamur, tamen & has ipsas continuis castigationibus reprimere studemus, atque illud præterea, qui omnia divinæ Apocalypseos mysteria dudum sibi reclusisse videntur, hujus ex evolutione didicisse debebant, *Babelem* dici *mysticam*, non quæ corrupta sit moribus, sed quæ cultum idololatricum foveat, & in omnes promiscue conscientias, & coetus dominium sibi arroget. Quod cum a Nostra multo remotissimum esse norint fanatici, & nihilominus tam contumelioso eam proscindant convitio, videntur utique mihi petulantium in scholæ puerorum vafritiem imitari, qui ubi condiscipulos tundendo, pungendo, criminando læserunt, horumque apud communiem Magistrum querelas metuunt, accusationem de indu-

stris occupant, & quorum ipsi rei sunt criminum, horum per lasciviam commilitones infimulant, quasque ipsi pœnas meruerant, in capita innocentum rejiciunt. Namque utut videri velint a Pontificiorum sese doctrina & consiliis longe, & multo, quam nos, longius removisse, utpote qui in restitutis a Luthero sacris non pauca desiderant, atque in repurganda religione pergendum, non vero dicta factaque illius quibusdam veluti cancellis circumscribenda fuisse clamitant; re tamen vera cum Pontificiis colludunt, & ad nostram perdendam Ecclesiam & subvertendam veritatem amicissima consensione conspirant. Non est cur quis id a me fanaticis per calumniam tribui arbitretur, cum id exemplis pluribus, iisdemque nulla inficiatione eludendis dare probatum queam. Quando enim hominem non qualicumque fide, sed per charitatem efficaci justificari, vel etiam fidem salvificam nihil aliud, qua rem, præterquam charitatis studium & obedientiam mandatis DEI præstitam esse docent fanatici, num quid hæc doctrina a fide Pontificiorum formata, vel etiam hominis per charitatis infusum habitum justificatione multum diversa est? Jam porro ubi hominem suis se viribus a præjudiciis, etiam circa res sacras, liberare, atque ex scelerum sordibus emergere; renatum autem hominem, omnino legem servare posse, & ita quidem, ut peccati insultus raro experiatur, contendunt, quando denique Scripturam S. in homine saltem impio, literam esse mortuam affirmant, judicem vero controversarum esse insciantur ac negant, Ecclesie in visibilem, ac invisibilem distinctionem, ceu nugatoriam, & nihil significantem exagitant, annon manifesto faciunt cum Papistis? sed nolim longius arcessere exempla, quum illustrius multo, addo etiam recentius præ manibus habeamus. Edidit abhinc biennio, plus minus, famosus ille Antiquitatum corruptor G. Arnoldus libellum quendam sub nomine Sophia, in quo laudes veræ solidæque sapientiæ exponere & variis celebrare carminibus allaboravit. Illius sub initium multus in eo est, ut ostendat libros Sapientia & Ecclesiastici Prophetici & Canonici pares oportere putari, idque tanta temeritate & audaciâ, ut ingentis prope modum injuriæ ac criminis Ecclesiam nostram postulet, quæ cum

cum Judæis hos libros annumerare Apocryphis, quam divi-
nam earundem auctoritatem venerari maluerit. Quod
ipsum, quoniam maxime impulsus consilio fecerit, meum
nunc non est inquirere. Si datur suspitioni locus studio
quodam *mysticæ Theologiæ* id fecit, quam, uti *Platonismum* sapere
jam pridem ostensum fuit a Nostris; sic hujus studiosiorem
fuisse, quem Libri Sap. auctorem vulgo constituunt, Philonem,
vel ex Proverbio liquet. Sorder enim jam pridem, ut fanaticis
omnibus, sic in primis Arnoldo, illa, quam Lutheri ope ex Bibliis
extructam, & huc dum conservatam habemus, Theologia, &
piscatoria illius simplicitas, plana que ac dilucida nostris in li-
bellis recepta statuendi de rebus, disputandique ratio. Pla-
cet autem impense *Mystica* illa, quæ sic vocatur, Theosophia,
rebus multo abstrusissimis, & granditate dictionis superba, No-
stroque adeo Arnoldo, cui nihil vulgare sapit, aliquot abhinc
annis in deliciis habita. Quia igitur hujus nonnulla, in
Libro maxime Sapientiæ, deprehendisse sibi vestigia videtur,
de amplificanda illius auctoritate cogitandum sibi esse puta-
vit. Quicquid vero hujus rei sit, hoc certum est & indu-
bium, Eundem in argumento hoc cum *Papistis* colludere,
nec ullum temere argumentum, nisi a *Bellarmino, Sixto Senensii,*
Huërio & aliis subministratum, in nos contorquere. Qua si-
mul de causâ, nos facile veniam merituros esse speramus, si
alicubi non tam attulerimus *novâ*, quam repetierimus *veterâ*.
Quoniam enim adversarium non puduit prisca, & longo pro-
pe usu *obrusa* tela probatam in sententiam conjicere; nec
nos debuit poenitere, veteri eandem clypeo defendisse.
Cumque præterea in veritatis *immemoriali* possessione, ut
loquar cum JCtis, versetur, non tam nostra pro sententia
propria urgebimus argumenta, quam refutabimus *aliena*. In
opere autem ipso sequemur adversarii ductum, & de librorum
istorum *auctoribus* primo, deinceps de *auctoritate* dicemus.

§. II. Ac librum quidem *Sapientie* ab ipso *Salomone*
profectum esse, non obscure insinuat Arnoldus. Etsi enim
pro fanaticorum ingenio, verbis ambiguis, dubiisque utatur, ita
ut aliorum magis, quam suam, videatur referre sententiam, res

tamen ipsa, & illius contra dissentientes stomachus & tanto numero producta Veterum & recentiorum testimonia eundem huic patrocinari sententiae sat probant. Monet igitur multos excellentes, graves, ac eruditos viros qua Veteres, qua recentiores, nullos dubitasse librum hunc, procul omni temperamento, Salomoni tribuere, habere es ubi singes Gedanken dem Salomoni zugeschrrieben. Etenim ex Veteribus *Cyprianum L. II. adv. Jud. c. 14. L. III. Test. c. Jud. c. 15. & 53. Clem. Alex. L. V. Strom. p. 183. & L. VI. p. 669. 673. nec non Epiphanium & Basilium, Hippolytum quoque in Cant. Cant. ex eoque Anastasium Sinaitam in hodeg. qv. 41. n. 13. & qv. 45. semper sub Salomonis citasse nomine. Eusebium quoque ex deperditis Irenaei dialogis L. V. c. 25. afferre, quod hic e Sapientia Salomonis sua pro sententia testimonia allegaverit. Vid. Arnoldus c. II. n. n. sq. p. 14. 15. Idem hoc urgent e Pontificiis Bellarminus Contr. I. de V. D. c. 13. nec non Sixtus Senensis Bibl. S. L. 8. p. 816. Elumbe autem hoc argumentum est, & ad evincendam libri divinitatem parum idoneum. Enimvero: Patres sub nomine Sapientiae Salomonis hunc allegant librum. E. a Salomone confectus credi debet, quæ consecutio? In appellandis rebus saepe ex vulgi opinione magis, quam sua, homines loqui certissimum est. Maria ἡ Θεοτόκος Josephum Jesu appellabat patrem Luc. II. 48. quem tamen ex Spiritu S. conceptum natumque esse non ignorabat. Nimirum quia ἐνοπιῆτο Josephi filius. Luc. III. 23. *Hermas Pastor, Constitutiones Apostolicae, Seneca ad Paulum & huius ad illum Epistola*, aliaque spuria, & subiecta scripta saepe sub aliorum laudantur & citantur nominibus quos tamen illorum esse, iis, a quibus allegantur, nunquam persuasum fuit. Quin et nos hodie *Symbolum antiquius III. sub Athanasii nomine*, quod circumfertur, recipimus, quod tamen a Vosio aliisque edocti Athanasii non esse persuasissimum habemus. Sic igitur et Patres in allegando Sapientiae libro locuti sunt cum vulgo, fenserunt cum eruditis. Quod ne praeter rem illis tribuisse videamur, prodeat in exemplum liber IV. *Efdrae*; quem hoc nomine *Ambrosius de Bono Mortis c. 10. Irenaeus lib. III. c. 25. Clem. Alex. L. I. Strom. Tertull. de Hab. Mul. Basiliius in Epist. ad Cbisonem, Chrysof. homil. 8. in Ebr.* citarunt, quem ta-*

men

men Esdræ celeberrimi illius Prophetæ ac Legisperiti esse nec Veterum quisquam creditit nec recentiorum. Idem de L. Sapientiæ sensisse illos ut arbitremur causas habemus. In iis enim, qui sub Salomonis nomine allegant, est etiam *Basilius L. V. contra Eunuchos* qui tamen *homil. I. in Prov. τρεῖς*, inquit. *πράσας ἐγώμεν τῶ Σαλομώντος περὶ ματαίας*, perinde ut *Hieronymus in c. I. Eccles.* Syraciden sub nomine Salomonis allegat, & tamen in *præfat. in LL. Salomonis* eundem a Salomone scriptum esse omnino negat. Excipit *Arnoldus: sententias tamen & argumenta Salomonis esse*, idque *vel solas preces c. IX. ostendere quippe quæ nisi a Salomone conceptæ esse non possint.* Es bekennen diejenigen/inquit, so das Buch nicht achten/das vieles darinnen mit den Sprüchen Salomonis übereinkomme/und gleichlautend sey. Probat etiam *Isiodori Lib. I. de officiis iudicium c. 9.* Sondernlich die Worte v. 7. gewislich nicht von einem andern/als bloß und leichtsinnig oder freventlich erdichtet/sondern von Salomone vor dem Angesicht des lebendigen GOTTES in grossen Ernst und Kampff um die Weisheit müsse gebetet worden seyn. Ob gleich hernach etwa ein ander das ganze Buch in die Griechische Sprache verleset haben mag/oder auch die Schrifften und Sprachen Salomonis, 1. Buch der Könige 4/32. von der Weisheit in dieses Buch zusammen getragen/wie *Huetius l. c.* schliesset/und zwar aus denen offenbahren Ebraismis des Griechischen Textes. (Conf. *H. Grotius Annot. ad Sapient. init.*) Eadem est *Bellarmini* opinio, qui Salomonis sententias a *Philone*, non juniore illo, qui sub *Cajo* et *Nerone* Imperatoribus floruit, sed seniore, eoque Græce disertissimo, perinde ut a *Viris Ezechia Regis Judæ* illas, quæ exhibentur *Prov. XXX.* collectas esse existimat. Idem *Sixtus Senens. lib. 8. Her. 9.* urget; negatque verba *Cap. IX.* ulli alii, quam Salomoni congruere p. 716. b. Conf. *Idem L. I. p. 26. b.*

§. III. Respondemus autem (I.) *generatim*, solenne hoc esse omnibus suppositioꝝ scriptoribus, ut ad eorum, quorum titulos mentiuntur, mores, statum, conditionemque scripturas accommodent, quo nempe vel tanto majorem libris auctoritatem concilient, vel tanto facilius imperitoribus imponant. Sic *Auctor Rhetor. ad Herenn. Ciceronis* gerit personam,

nam, & Auctor *Apost. Constit.* hujusmodi formulis utitur quæ nisi Apostolos ipsos decent neminem. In mutuis Jesu & Abgari, Pauli & Senecæ, quæ circumferuntur, literis stylus quodammodo scribentium personis aptatus est. Ne quid addam de pluribus. Et tamen hæc omnia conficta esse & spuria non dubitant doctiores. Quid mirum igitur auctorem L. Sapientiæ foetum suum Regi clarissimo subjecturum, hujus quoque ingenium moresque exprimere studuisse. Interim (II) Eundem Salomonis personam in omnibus recte & sapienter atque cum dignitate gessisse, nec Bellarmino dederim nec Arnolodo. Primo *a*) enim, quod recte ex *Driedone Wittakerus* observat *T. 1. 00. f. 273. b.* moris est in Scripturis, ut, qui loquitur, in alterius persona loquatur, quod quidem hoc in capite factum non videmus. *β*) In Cap. XV. 14. manifesto, sive præ dolore, sive aliam ob causam oblitus est auctor sub Salomonis se nomine scribere. *Omnes, inquit, sunt insipientes, & miseri, insipientiores animis infan- rum, inimici populi tui, & imperantes illi; sive, ut Græce habetur* multo significantius, *καταδυναστεύοντες*, abutentes potentia in populum, ut reddit Junius, vel non imperantes solum, sed etiam opprimentes. Hic Auctor dicit populum DEI, per quem Judæos intelligit, subjectum fuisse imperio inimicorum, ab iisque oppressum. At tempore Salomonis Israelitis non dominabantur gentes inimicæ, sed his ipsis Israelitæ 1. Reg. IV, 20. 21. Hinc argumentum: Quo tempore scriptus est liber, Judæi aliis fuerunt subjecti. Tempore Salomonis non fuerunt aliis subjecti. E. tempore Salomonis non fuit scriptus liber: & quod hinc sequitur, nec a Salomone ipso. Dixeris: si a Salomone scriptus non est, a quo tandem? Poterat hic verbo responderi: non liquere. Illorum tamen opinio omnium proxime videtur ad veritatem accedere, quæ illum Philoni juniori tribuit. Sunt qui Philonem multo antiquiorem, & vel annos 170. ante quam hic in terris versaretur, hujus libri auctorem ferant, utpote Bellarminus, qui eum LXX Interpretibus accenset. Verum his adversatur Josephus qui L. II. c. Appion, seniorem Philonem non inter Judæos sed profanos historicos refert. Quod cum observaret urgeretque Sixtus Senensis in Bibl. Lib. I. Sect. 2. p. 27. eaque de causa Philonem L. Sapientiæ auctorem inficiaretur,
Gene-

Genebrardus, homo multo confidentior *Chronol. L. II. tertium*
 quendam fingit *Philonem seniore* Judæum. Quo pacto sic
 refutatur ratio *Sixti*, ut idem ei eveniat, quod *Herculi*, qui
 cum unum hydræ abscidisset caput, illico subnascebantur
 duo. Sed ommissis ineptis cavillationibus hominum opinioni
 potius quam veritati, studentium, circumstantias attendamus,
 & argumentum libri dictionemque spectemus. Quibus ex-
 pensis facile intelligemus, eorum sententiam reliquis ante-
 ferri debere, qui *Philonem juniorem* auctorem libri consti-
 tuunt. Cum enim *Cajus Imperator*, impotentis animi Prin-
 cept, imaginem suam *Jerofolymis* in templo dedicari jussisset,
 ac præterea Judæos per *Appionem Alexandrinum* atrocis-
 simis calumniis opprimi pateretur, missus ad eum *Philo* est,
 præsentis animi, ac oris disertissimi Orator, qui Judæorum
 apud *Cæsarem* causam oraret, impactasque amoliretur calu-
 mñas. Quod ubi frustra fuit, rei indignitate permotus
Philo, solaturus suos, librum illum haud dubie conscripsit, re-
 bus desperatis in DEO fiduciam poni debere arbitratus.
 Hinc gravis illa & plena severitatis ad Principes allocutio :
*Diligite justitiam, qui judicatis terram, sentite de Domino in boni-
 tate, & in simplicitate cordis querite illum. Cap. I. i. ut adeo judi-
 cio eruditissimi Rainoldi Præl. XXII. p. 180.* nodum in scirpo
 querere videantur, qui alium quam *Philonem* auctorem quæ-
 runt. Nonnulli *Platonice* quoque *Philosophiæ* eodem in
 libello vestigia sibi deprehendisse videntur. Hinc *Theod.*
Mejerus in *Introd. ad Theol. Mor. c. VIII. §. 16.* In hoc, inquit, *Sa-
 pientie* libro deprehenditur *Platonica eloquentia*, deprehenduntur
 & dogmata *Platonica* : *Plato IV. numerat virtutes Cardinales,*
& prudentiam, justitiam & fortitudinem. Eadem in-
 culcat Auctor *L. Sapientie c. VIII. 7.* Denique *judicio Rainoldi*
*l. c. is character est, ea forma dictionis, que Philonem illum redo-
 let, quo de dictum scriptum & decantatum fuit : ἡ Φίλων πλάτω-
 νίς, ἡ Πλάτων Φιλονίς.* Non parum quoque momenti huic
 adjicit sententiæ auctoritas *Hieronymi*, qui a *Veteribus*, hoc est,
 trium priorum a Christo nato seculorum, scriptoribus, hunc
 librum *Philoni* tributum fuisse memorat, quem eundem
 etiam a *Græci sermonis peritia* in *Catalogo* laudat. Nec de-
 sunt

B

sunt

sunt aliorum suffragia. Etenim *Nic. Lyranus*, vir tanta, tam-
que pura, vera, & Germana Scripturae scientia praeditus, ut in illa
exponenda nullum habeat illius temporis parem, iudicio *Rainoldi*
p. 174. eundem *Philoni* tribuit. Accedunt *Bonaventura*, *Jo.*
Picus in *Pref. Heptapli* ap. *Sixt. Sen. L. II. p. 131. Lutherus*, & tan-
tum non omnes repurgatae religionis Doctores. Saltem *Salom-*
onis non esse, quod *Bellarminus*, & cum *Bellarmino Arnoldus*
credit, quotquot Veterum emundioris nasi fuerunt, existi-
marunt. Hinc *Augustinus* in *Speculo*: Sapientiam & *Ec-*
clesiasticum Salomonis non esse, doctiores quique vix dubitant.
Putat quidem *S. Senensis L. VIII. her. 9.* Augustinum re-
tractasse sententiam: sed cum manifesta sancti Viri injuria.
Enimvero *Syraciden* auctorem esse *L. Sapientiae*, quod ali-
quando de *Doctr. Christ. L. II. c. 8.* scripserat, id retractavit: *Sal-*
omonem libri auctorem esse, ut nullibi ne insinuavit quidem
ita retractare non potuit. Audiamus Augustinum ipsum, qui
cum docuisset *Librum Sapientiae* quandam cum scriptis *Sal-*
omonis convenientiam habere, subiungit: *Nam illi duo*
libri, unus qui Sapientia Salomonis, alius qui Ecclesiasticus inscribi-
tur de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam filius
Jesus Syrach eos scripsisse, constantissime perhibetur. Hoc est er-
go, quod Augustinus Retract. Lib. II. 4. corrigit: Quod dixi,
inquit, de Auctore libri, quem plures Sapientiam Salomonis dicunt,
quod ipsum sicut Ecclesiasticum scripserit Jesus filius Syrach, postea
didici non ita constare, sicut a me dictum est, & omnino probabi-
lius comperi non esse hunc illius libri auctorem. Hic etsi neget
esse Syracidis, Salomonis tamen esse, ne verbulo quidem infi-
nuat. Certe in libris de Civitate DEI, quos longo post tem-
pore scripsit, contrarium statuit, illius, nempe Salomonis, non
esse, nec dubitare de illo doctores, Bellarminus astutius
agens, & cautius, quo declinaret scopulos ad quos videbat
Sixti Senensis ratem allisam, satis habet dicere: Augustinus re-
tractat. Quid autem? num ita retractat ut Salomoni eundem
vindicet? nil minus. Imo vero, quia constantissime per-
hibitum esse docet, auctorem libri esse Syracidem, postmo-
dum vero meliora se didicisse tradit, nec tamen Salomonem
diserte nominat, ne ipsius quidem Augustini aetate hunc
ipsum

ipsum pro auctore habitum fuisse facile apparet. Quod ipsum perspicuus *Alphonsus de Castro L. 1. 2. ad h. res.* velut indubium memorat, Augustinum censuisse hunc librum Salomonis non esse. Imo vero *Pseudo-Dionysius Areopagita*, cuius alioqui, ceu primi *Theol. Mysticae* conditoris, *Arnoldus* noster vestigia pronus adorat *L. de div. nom. c. 4.* Ne, inquit, cum tantopere laudemus amorem videamur loqui praeter auctoritatem *Scripturarum S.*, illos audiant, qui amoris (*ἔρωτος*) vocabulum reprehendunt: *Ama sapientiam & custodiet te: attolle eam &c. que in S. literis amatoris laude celebrantur.* Imo, visum est, inquit *Dionysius*, quibusdam *Tractatoribus nostris* divinius quidam esse amorem, ut *Ignatio*, amor meus crucifixus est, & in primis *Scriptur. S. tractatoribus* inventes quendam sic dicentem: *Amator sum factus formae illius &c. Sap. VIII. 1.* Quibus in verbis Auctorem Sapientiae non modo *Libris Canonice*, sed & *Ignatio* postponit, eumque in *Tractatorum* numerum rejicit, per quos intelliguntur illi, qui explanando tractant *S. literas*, de quibus *Hieronymus Ep. LXI:* *Scia me*, inquit, *aliter habere Apostolos, aliter tractatores.* Hos igitur *Dionysius* a *Prophetis & Apostolis* distinguit, ad eosque post *Sacrarum Literarum* mentionem laudatque *Ignatio*, viro *Apostolico*, demum devenit.

§. IV. Sed si *Salomo* ejus omnino Auctor haberi non debet, quid causae tandem est, ejus quod sub nomine toties allegatur? Respondet l. c. eruditissimus *Rainoldus*, quatuor de causis id factum esse. Prima est similitudo librorum, quae adducitur ab *Augustino de Civ. DEI XVII. 20.* *Libri Sapientiae, & Ecclesiastici*, ait, ut dicerentur *Salomonis* obtinuit consuetudo propter eloquii similitudinem. Altera est error citantium. Ita *Sixtus II.* (quem tamen *Pseudo-Sixtum* esse, docet idem *Rainoldus*, in colloqu. cum *Harto c. 8. Sect. 3. fol. 296. seq. ed. Lond.*) in *Epist. ad Gratium*, cum verba quaedam sub *Salomonis* citasset nomine, ex *Ecclesiastico*, mox subjungit, & idem ibidem: Quae autem subsequuntur sumpta sunt ex *c. VIII. Prov.* Tertia causa fuit commoditas allegandi, ne semper tanta verborum circumductione & ambitu uti cogerentur, ut dicerent: Auctor illius libri, qui *Sapientia Salomonis* inscribitur. Quarta ratio fuit edificandi studium. Pluris enim aestimantur, quae a

Salomone, Viro Sapientissimo sunt scripta, quam quæ a Philone Judæo. Hinc Epiphanius hunc librum non modo Salomonis Sapientiam nominat; sed &, quod majus, illum una cum Ecclesiastico, *divina Scriptura* titulo cohonestat. *Heref. LXXVI. Anom. Conf. omnino Rainold, in Cens. LL. Apocryph. Prael. XVIII. & XIX. p. 152. sq. Add. Heidegger. in Enchir. Bibl. L. II. c. 2. p. 509. seq.*

§. V. Sed de *Sapientia* hætenus. Sequitur, ut de *Syracide* exponamus, quem Pontificii scriptores, in primisque *Bellarminus Contr. I. L. I. c. 14.* perinde, ut Sapientiam, ad Salomonem auctorem referre non dubitant. Nec *Arnoldus* ab hac sententia magnopere alienus esse videtur, utpote qui eundem & Ebraice aliquando scriptum, & ab Israelitis inter canonicos relatum fuisse, n. 16. p. 16. non sine causa memorat. Ac Pontificii quidem, quod ex *Sixti Senensis Bibl. L. I. p. 27.* constat, sententias saltem Salomonis a Syracide collectas fuisse, putant, errore tam crasso, tamque supino, ut nullo palliari colore queat. Ipse Syracides in *Pref. Libri*, quam tamen, nec *S. Senensis L. II. Bibl.* nec *Bellarminus l. c. c. 20.* a canonicis excludunt, comprehensas libro suo sententias non a *Salomone R.* sed a *JESU* avo suo collectas esse docet. Eruditissimus *Rainoldus l. c. Prael. XXIII. p. 149. seq.* duo in primis argumenta, ex libro ipso petita ceu valida & luculenta urget. *Alterum* est, quod Auctor *c. LI. 19.* scribit, se juvenem admodum expectasse a DEO Sapientiam *in templo.* Atqui, quo tempore oravit Sapientiam Salomon, ne quidem ædificatum fuit templum, *1. Reg. III. 4. 12. 15.* *Alterum* est, quod non modo multorum post Salomonem Regum, Pontificumque meminit, sed & de Elia loquens, oratione ad illum conversa: *Conscriptus es, inquit, in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini, converse- re cor Patris ad filium, distribuere tribus Jacob c. XLVIII. 10.* Ubi vero conscriptus est? *Malachia cap. IV. 5.* quem tamen quingentis post Salomonem annis vixisse liquet, ne quid de errore in re ipsa, dum Eliam ipsum rediturum esse, persuasum habet, commisso, quicquam adjiciam. Non dememini Ecclesiasticum a *Cypriano L. III. Test. n. 20. p. 270.* edit. Parisi *Marcello* item Papa, & *Sixto II.* suis in *Epistolis* sub Salomonis citari nomi-

nomine. Verum sapienter ex ipsis Pontificiis *Alphonsus de Castro* monet L. I. c. 2. *adv. bar.* Benigne interpretanda esse omnia Patrum dicta, ubi citant verba Ecclesiastici sub nomine Salomonis ideo quod memoria lapsi esse videantur. Quod quidem eo in loco exemplis probat. *Athanasius* certe in *Synopsi*, *Hieronymus* in *Pref. in LL. Salomonis*, *Epiphan. de Anomais*, itemque de *Pond. & mens. Augustinus* L. XVII. de *Civit. DEI* c. 20. & L. II. de *Doctr. Christ.* c. 8. non *Salomoni* sed *Syracidi* tribuunt.

§. VI. Constat, opinamur, *Salomonis* non esse, vel *Sapientie* librum vel *Ecclesiasticum*. Nunc illud evincamus non esse *canonicos*. Quod palam fiet, si, quæ sint requisita librorum canonicorum curatius expendimus. Etenim hos I.) a Prophetis & Viris *θεοπνεύστους* conscriptos esse oportet. Non enim est humana voluntate allata Prophetia, sed locuti sunt Sancti DEI homines *Φερόμενοι ἀπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου* 2. *Pet.* 1. 21. Hinc tota Scriptura V. T. canonica *λόγος προφητικός* l. c. dicitur. At librum *Sapientie* & *Ecclesiasticum* non esse a *Salomone*, vel alio quodam Propheta confectos, & hucdum ostensum fuit, & ratio temporum sermonisque confirmat. De vero *Sapientie* auctore mox luculentius constabit. *Syracides* *Jesum*, Avum suum, a *Mose* & Prophetis distingvit, ex iisque sua petiisse, se vero Græce reddidisse, docet in *Prologo*; tum vero locata a se in transferendo operæ veniam precatur, & rei difficultatem, querimonia Sacris scriptoribus nec digna, nec usitata, excusat, eoque ipso & se & Avum suum a *Prophetarum* numero & censu sponte eximit. Neuter igitur horum librorum ratione auctoris *Propheticus* est. vid. *Calov. in Crit. S. c. I. §. VIII. p. 6. sq.* & *inpr. Schröder. de Princ. Theol. c. 1. n. VI. p. 125. sequ.* Sed nec,

II. Idioma, & stylus canonicis scriptoribus receptus & usitatus, his in libris occurrunt. Libri enim canonici V. Testamenti, sicut in usum Ecclesiæ Judaicæ; ita sermone quoque ac Idioma *Judæis* noto, adeoque *Ebraico* confici debuerunt. Nec enim populum *Ebræum* alio, quam quem intelligebat, sermone alloqui Numen potuit *Ez. III. 5. 6. 1. Cor. XIV. 22.* At vero nec *Sapientie* liber nec *Ecclesiasticus* *Ebræo* sermone confectus est. *Jesum* quidem *Syraciden* in scribendis

analectis Ebraico sermone usum fuisse *Nepor* ejus docet in *Prologo*, eademque suis se usurpasse oculis *Hieronymus* in *Præf. ad L.L. Salom.* testatur: quanquam his temporibus non amplius sunt super. Liber vero *Sapientia* nec extat, nec unquam extitit Ebraice. Negat hoc *Arnoldus*, cujus verba §. II. attulimus, Eundemque Ebræo primum sermone confectum, (quod, observante *Huërio*, manifesti doceant Ebraismi) deinde ab alio quopiam Græce redditum, vel etiam ex sententiis Salomonis compilatum cum eodem Huërio putat. Deinceps more suo eos omnes alicujus a veritate defectionis insinuat Christianos, qui cum Judæis hunc librum ideo, quod Ebraice non extet, pro canonico habere abnuunt: *Es hat*, inquit, *ihnen* (np. Judæis) so wohl als den verfallenen Christen zum *Beschuff* dienen müssen / weil es NB. nicht mehr Ebräisch zu finden sey. n. 20. p. 15. & num. 19. Verum hæc omnia dicuntur facilius quam probantur. Aliquando extitisse Ebraice inanis & nullo fundamento suffulta suspicio est. Recipit quidem sese ad rationes styli, in eoque sibi cum Huërio manifesta videtur deprehendisse Ebraici sermonis vestigia. At enimvero & aliud pervasum est Lingvarum & Antiquitatum peritis. *Hieronymus* certe in *Præf. in L.L. Salomonis*: *Fertur*, inquit, & *alius liber, filii Syrach, & Ψευδενίτυραφος, qui & Salomonis Sapientia dicitur.* Secundus NB. apud Ebræos nusquam est. *Quin & ipse stylus* NB. Græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse *Judæi Philonis* affirmant. Hæc *Hieronymus*, si quis alius, Patres inter, Ebraice doctus, quique adeo num stylus libri Ebraismos sapiat, commode potuit judicare. Qui tamen & *Ebraice nusquam extare*, & *Græcam* simul eloquentiam redolere testatur. Sed & *Grotius*, ad quem provocat *Arnoldus*, auctorem libri Græce non indoctum fuisse in *Prologo ad L. Sapientia* fateretur. *Rainoldi* de character sermonis judicium, quod nempe *Philonem* magis Platonizantem, quam *Salomonem* Prophetantem, redolet, supra dedimus. Graviter vero *Heideggerus* in *Enchir. L. II. c. 2. n. 8. p. 516.* Falluntur, inquit, haud dubie, qui primitus Ebraice scriptum tradunt. Ipse namque stylus & constructio tum adjectivorum tum epi:betorum, ac compositorum abundantia prodit, nunquam scriptum

primum fuisse Ebraice ab Auctore, sed ab Ebraeo quodam, rarius he-
 braizante, Græce. Itaque si vel maxime concederetur, Ebrai-
 cum quid sapere hunc Sapiëntiæ librum, non tamen ideo fe-
 queretur, eundem primitus Ebraice scriptum esse. Quis
 enim temere inficias iverit, N. T. codicem quamplurimis esse
 Hebraïsmis refertum? Grotius inter Ebraïsmos refert, quod
 Cap. I, 1. Sapiëntiæ dicitur: servite DEO ἐν ἀγαθότητι, i. e. ἀγα-
 θῶς. Atqui vero similem loquendi modum deprehendas
 Math. XXII. 16. viam DEI ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, i. e. ἀληθῶς.
 Sic Act. XXVI. 7. λαλῆσεν ἐν ἐκτενείᾳ, i. e. ἐκτενῶς. Apoc. XVIII. 2.
 κἀπὲν ἐν ἰσχυρί, i. e. ἰσχυρῶς. conf. Glafs. Phil. L. II. p. 233.
 Nec tamen ideo, eundem initio Ebraice scriptum esse putan-
 dum est. Id potius ex Ebraïsmis liquet, Auctorem libri fuisse
 Virum, gente quidem & origine Ebræum, sed extra fines
 Palæstinæ natum, & versatum, cujusmodi vulgo Hellenistæ vo-
 cantur ex mente Druſii L. IV. Præter. Phraſi Biblica οἱ ἐν δια-
 σπορῇ, Job. VII. 35. 1. Pet. I. 2. Quod ipsum cum in Philonem
 Judæum genere Alexandrinum egregie quadret, hunc potius,
 quam alium quempiam auctorem hujus Libri fuisse argumen-
 to non contemnendo collegerim. Denique illa Libri Salo-
 monei Versio, pro qua Adversarius propugnat, vel Prophetarum
 est adornata temporibus, vel postea. Prius factum fuisse
 nego, quia Prophetæ proponere solebant sua, non transferre
 aliena: Versionis etiam in populo DEI, antequam Græcus
 sermo, per Monarchiam Græcam, invaluit, vel exiguus fuisset
 usus, vel plane nullus. Postremo nulla apparet causa, cur ex-
 tantibus fontibus de versione græca cogitari debuerit. Si
 vero post tempora Prophetarum est isthæc suscepta versio, tum
 nec Θεόπνευτος fuerit, nec Canonica, cum solis id tribuatur
 Prophetis, quod fuerint Φερόμενοι ἀπὸ τοῦ πνεύματος ἀγίου.
 2. Pet. I. 21. Luc. I. 70. adeoque Canonici quid, nisi a Prophetis pro-
 fisci non potuit. Dixit cum Bellarmino & Senensi l. c. Ad-
 versarius: Argumenta tamen & sententiæ magnam cum scriptis
 & genio Salomonis convenientiam habent, idque nemo non, etiam
 dissentientium, liberaliter fatetur. Es bekennen auch dies so das
 Buch nicht achten / daß vieles darinnen mit den Sprüchen
 Salomo überein komme. p. 15. n. 12. Resp. Si hoc suffice-
 ret,

rēt, eodem jure Liber *Efra III.* & Legisperito illi, ceu Auctori, adscribi, & inter Canonicos referri deberet, utpote qui unica excepta fabula Zorobabelis, quæ palam contrariatur iis, quæ in vero *Efra* habentur, ex historiis *L. I. & II. Chron.* totus contextus est, observante *Rainoldo Præl. XXIII. p. 191.* Cum proinde hi libri nec a Prophetis, nec Prophetico sermone confecti sint, eosdem pro Canonicis habere merito dubitamus.

§. VII. Itaque III. urgemus, eosdem testimoniis utriusque Ecclesiæ, & Israeliticæ & Christianæ vetustioris destitui. Liqueat prius quia a.) si libri illi scripti essent in usum Ecclesiæ Ebraicæ, idque ex intentione divina: tum procul dubio iisdem Ecclesiæ usæ fuisset tanquam Canonicis, certe non exclusisset a Canone. At Ecclesiæ Ebraicæ, & Judaicæ iisdem non usæ fuit tanquam Canonicis E. Veritas consecutionis patet, quia si DEVS voluisset eosdem Canonica auctoritate pollere, non modo eosdem commendasset Ecclesiæ, sed & ut ab Ecclesiæ pro Canonicis reciperentur, fecisset. Quod quia factum non legimus, DEUM noluisse illos haberi in Canonicis recte inferimus. Adhæc b.) omnes Libri de voluntate DEI Canonici, crediti fuerunt Ecclesiæ Israeliticæ: Judæi quippe ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τῶ θεῶ; *Rom. III, 2.* quo nomine vel præcipue comprehendendi *Scripturas* §. quis dubitaverit? si ergo Ecclesiæ Judaicæ concediti sunt libri Canonici, utique ex natura relatorum non rejeçti ab illa, sed summa fide custoditi & asservati fuerunt, iudicio *B. Calovii in Crit. cap. I. p. 10.* Nam ut elegenter *Pererius in Ep. ad Rom. Disp. I. Sect. 4. p. 406.* Observat: *credita* plus significant, quam *missa*: quia credere alicui rem quampiam est ejus fidei jam nobis probata & perspectæ committere. Unde & *Augustinus L. XII. c. Faust. c. 22.* concinem Judæam Christianorum *Bibliothecam*, concinno elegantique titulo salutat. Quo ipso etiam munere tanta religione perfuncta est, ut Judæum vel centies moriturum testetur *Philo de egr. fil. Isr. ex Egypt.* quam Legem in quam, pateretur mutari: nec dubium est, si de Canone quicquam detraxisset Ecclesiæ Israelitica quin eo nomine a Christo & Apostolis graviter reprehensa fuisset. Nam cum *Arnoldus* ipse

ipse pro sventa fanaticis superbia in cœtum nostrum ob reputatos hos libellos temerarie ac impotenter detonet eumque *defectionis a veritate* insimulet n. 20. 21. 22. quis credat Servatorem ipsum in asserenda Verbi sui auctoritate segniorum aut negligentiorum fuisse? Hujus autem quicquam non legimus, sed ab eodem & Apostolis ad Mosen & Prophetas procul ulla mutilationis commonefactione remittitur. *Matth. XXIII. 2. 3. Luc. XVI. 29. Job. V. 39. 2. Tim. III. 14. 15. 2. Pet. I. 29. Vid. Calov. l. c. p. II.* Hinc igitur Scripturas Canonicas & Israelitis creditas & ab iisdem summa religione ac fide asservatas colligimus.

§. VIII. Jam, quod ad *Sapientia Librum* attinet, hunc vero ab iisdem nunquam vel inter Canonicos relatum, vel etiam tanquam Canonicum custoditum fuisse, usque adeo verum est, ut nec *Arnoldus* p. 18. n. 20. nec *Pontificii* diffiteri sustineant. Ob hujus igitur testimonii defectum Liber ille, qualis qualis sit, a Canone Scripturæ recte meritoque excluditur. Obvertit fanaticus l. c. *rejectum esse hunc librum a Judæis, non alia de causa, quam quia nimis clara de Christo testimonia contineat.* Aus obigen Stellen der Alten ist gewiß, daß die Juden dieses Buch NB. bloß deswegen verworffen/weil es allzu klare Ausdrücke von Christo in sich hält. Vellem autem 1.) fidei faciendæ causa illustria illa de Christo testimonia attulisset *Arnoldus*, quo tanto feliciter de iis ferri potuisset iudicium: nobis enim, ut non obiter inspicientibus librum, ne unum quidem occurrit, nedum multa. Equidem illud c. II. de iusto, Dei Filio, misere divexato Pontificii communiter & in his s. *Senensis* in *Bibl. L. VIII. her. 9.* de Christo Servatore intelligunt. Atque hoc ipsum commode satis fieri posse cum *Grotius* in *Not. ad h. l.* submonuit, tum *Calovius* in *Bibl. Illustr.* probavit. Idemque haud dubie *Galatinum* induxit, ut *Philonem*, Libri auctorem, Christianum esse putaret *L. I. de Arc. Cath. Verit. c. 4.* Interim nulla prohiberi religione possumus, quo minus verba illa de quolibet iusto promiscue explicemus & ut *Grotius* l. c. loquitur, *generaliter intelligamus.* Vrut enim *Christus* κατ' ἐξοχήν dicatur ὁ δίκαιος, *Act. III. 14.* tamen hæc vox in Scripturis non raro *indefinite*, de quolibet iusto, accipitur, quod patet ex *Hab. II. 4. Psal. XI. 2. 3. Jes. III. II. &*

C

ex

ex Libri huius *cap. X, 4. 6. 10. 13.* Quam quidem hoc in capite sententiam obtinere, hinc liquet, quod *Senis* quoque & *vidua* injicit mentionem. Jam uti hic *senis* nomine omnes senes, & *vidua* nomine omnes *vidua*, sic *justi* nomine omnes promiscue *justi* significantur. Nec obstat, quod *justo* titulus *Filii Dei* tribuitur. Hoc enim nomine cum totum populum *Israeliticum*, tum speciatim *fideles* omnes venisse ex scripturis constat, *Ex. IV, 22. Hof. XI, 1.* Vid. omnino *Rainold. l. c. p. 176. & 187.* Cum igitur nondum evictum sit, extare hoc in Libro *illustria* de Christo testimonia, quae *Judaeos* ea propter eundem improbasse statuitur? Quamquam si vel maxime extarent, tamen ideo exclusum fuisse a Canone citra manifestam vel in *Judaeos* injuriam, vel veritatis jacturam dici non posset. Si enim *antiquiores* *Judaeos*, & qui ante Christum natum vixerunt, intelligas, quis credat eos librum, ob *illustria* de Christo testimonia, rejecisse, cujus illi adventum tam anxie expectarunt? si *recentiores* respicias, qui illi recipere debuerunt in Canonem, quem suis a Majoribus ab eodem exclusum fuisse meminerant? si ob *luculenta* de Christo essera id factum est, ejecerunt e Canone, in quibus non solum plura, sed etiam *illustriora*, & certiora de Messia vaticinia leguntur? Atrox proinde, & cum charitatis laesione conjuncta calumnia est, quando id *Judaeis* tribuitur ab *Arnoldo*, cujus illi nulla veritatis specie possunt in simulari. Quod si vel maxime tale quid quasi *recentiores* fuissent, non tamen *Christiani* veteres, a *Servatore*, & *Apostolis* instituti, ipsique adeo *Apostoli* in tanti sceleris societatem venissent. At antiquior illa puriorque *Ecclesia* huic *Sapientiae* Libro una constantique sententia *Canonicam* inesse auctoritatem negavit. Hinc igitur *Canonicum* non esse recte concluditur.

§. IX. Negat hoc ipsum fanaticus, & conquisitis undique argumentis testimoniisque laborat evincere, *Apostolos* juxta & antiquiorem *Ecclesiam* Libro *Sapientiae* omnino auctoritatem *Canonicam* tribuisse. *Apostolos* quidem praxi & re ipsa illud probasse, allegando eum non semel, utpote *Ebr. I, 3.* & *Rom. XI, 34.* minime illud facturos, si de divina libri origine dubitassent. Eadem haec *Sixt. Sen.* urget *Bibl. S. L. VIII.*

bar.g.

her. 9. p. 317. At enim vero α) hoc argumentum obusam merito *macheram* salutat Calovius Crit. S. p. 29. utpote cuius nec Propositio nec Assumptum nostram stringit sententiam? Quid enim? Annon Judas sua in Epistola v. 14. Prophetiam Enochii allegavit, quam tamen in Apocryphis numerat *Bel-larminus* ipse de V. D. L. I. Contr. i. c. 18. Annon Paulus ex Arato & Epimenide aliqua citavit, quæ tamen ideo pro Canonicis haberi non debent? Sed & β) oppido falsus fuit fanaticus, quod utrobique ad Librum Sapientiæ respectum fuisse existimat. Verba enim *Rom. XI. 3.* $\tau\acute{\iota}\varsigma \acute{\epsilon}\gamma\gamma\omega\ \nu\acute{\sigma}\nu\ \kappa\upsilon\rho\acute{\iota}\varsigma, \eta\ \tau\acute{\iota}\varsigma\ \sigma\acute{\upsilon}\mu\beta\epsilon\lambda\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\tau\acute{\epsilon}\rho\acute{\epsilon}\ \acute{\epsilon}\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron$, quis novit mentem Domini, aut quis illius fuit consiliarius? non sunt petita, (nisi forte cum *Huetio de Demonstr. Ev. p. 420.* *Jesaiam* sua ex *Sapientia Librio* mutuatum fuisse, putare velit,) ex *IX. Sep.* cuius Auctor: *Quis*, inquit, *hominum potest scire consilium DEI, aut quis poterit cogitare, quid velint Deus; sed ex Jes. XL. 13.* ubi Propheta: *Quis*, ait, *erudit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut instravit eum?* Quæ verba multo ad Pauli sententiam, quam illa e L. Sapientiæ sumpta propius, accedere, per se patet. Ebræorum autem *c. 13.* manifestum est, Apostolum non allegare aliquod V. T. testimonium, nec eadem esse hujus & L. Sapientiæ verba, sed tantum similia. Ne quid addam de illo, quod neutro loco Paulus præmiserit sese aliquod Scripturæ citare testimonium velle, quem alioqui morem diligenter servavit. Conf. *Wittak. de LL. Can. c. XII. f. 17. a*

$\S. X.$ Quod ad veterum testimonia spectat, primo nobis obvertit fanaticus auctoritatem *Melitonis*, qui suo in Catalogo Librorum Canonicorum apud *Euseb. L. II, 26.* etiam Sapientiam nominet. Negare quidem non audet, esse nonnullos, qui h. l. Sapientiam *σοφιστικὴν* positam esse pro ipsis Proverbis arbitrentur, & apud *Eusebium* legant *παροιμίας ἢ καὶ σοφία*, alios tamen, utpote *Wittakerum*, hanc lectionem improbare subinnuit. Bene vero res habet, quod id testimonium principe loco allegatur quod dubium est, & ad nostram facile sententiam, & potiore quidem jure, trahendum. Nam $\alpha.$) Proverbia Salomonis seu *παροιμίας*, nonnunquam a Vereribus dictam fuisse *σοφίαν*, sive Sapientiam, eandemque *παράδειον* ex ejusdem *Eusebii L. IV. 22.* non dissidente adversario, liquet. Idem ex *Cypriano ad Quirin. L. III.*

e. 26. & 56. patet, unde & *Manutius* & *Morellus* suis in editionibus non raro in *Sapientie* locum vocem substituerunt, *Proverbia*, observantibus ad illum *Cypriani* locum *Pamelio* & *Rigalio* f. 269. ed. *Parif. nov.* Secundo β) variam, hic dari lectionem concedimus, cum alii *παραβολαι η σοφια*, alii *παραβολαι η και σοφια*, alii *παραβολαι η και σοφια* legi oportere concludant, quod recte observavit *B. Calopius* noster in *Crit. c. I. p. 21*. Ultimam tamen, ceu probatissimam, reliquis omnibus anteferendam esse docet *H. Valesius* in *Not. ad Euseb. p. 83*. eandemque fide *V. vetustissimorum Codd.* utpote *Regii, Mazariniani, Medicei, Fuckeriani, & Savilianii* confirmat. Accedit *Rusini* versio, qui verba *Eusebii* sic reddidit: *Salomonis Proverbia, que & Sapientia*. Sed & *Nicephorus Callisti*, quum *L. IV. hist. c. 10*. *Melitonis* recensuisset historiam, ubi ad librorum *Scripturae Catalogum* pervenit: *παραβολαι*, inquit, *η σοφια, Proverbia sive Sapientia*. Idque γ) confirmat Ordo a *Melitone* adhibitus qui *7η σοφια* statim *Ecclesiasten*, & *Canticum Canticorum* subjungit, quae tamen in omnibus Codicibus non cum *L. Sapientiae*, sed *Proverbiis* coherent. Legendum igitur omnino de voluntate *Eusebii* & *Melitonis*: *παραβολαι η και σοφια*. Excipit *M. Arnoldus*: *Hanc lectionem alii improbari: Audere vollen davon nichts wissen. Vnum vero Wittakerum allegat, qui T. I. OO. Disp. de S. S. L. Canon. Controv. I, 6. Sunt, inquit, qui hanc Sapientiam Salomonis, quam Melito commemorat, ipsum esse Proverbiorum librum arbitrantur. Quibus Ego non assentior. Bis enim eundem librum nominandi causa nulla fuit. Quid vero si causa fuit? nempe, vel, ut solenni eam elogio celebraret, vel, ut ab aliis eodem Sapientiae titulo celebrari solitis distingveret & hunc unum Sapientiae librum in Canonicis habendum esse doceret. Quanquam non opus est, ut de amolendo Wittakeri dissensu multum simus solliciti, quum seipsum correxerit *L. I. de S. S. c. Duræum T. I. OO. f. 75. Credibile est, inquit, quemadmodum NB. doctissimis hominibus videtur, Sapientie nomine ipsum Proverbiorum librum significari. Illo proinde Melitonis testimonio nihil probatum est.**

§. XI. Subjicit huic auctoritatem *Cypriani*, ut qui locum *e. L. Sap. c. III, 14*. de martyribus explicuerit eundemque ceu *S. Scripturae partem Epist. VI. f. 241*. laudavit. Sed Resp. a) eodem in loco,

loco, *Cyprianus* etiam libros *Maccabeorum* atque *Tobie* laudat, & cum Libro *Sapientia* conjungit, quos tamen pro *Canonicis* haberi debere, ne ipse quidem *Adversarius* dixerit. b.) Patres in tribuendo *Scripturae* nomine liberaliores fuisse, quis nescit? *Hieronymus* citans illud *Ecclesiastici*: *Musica in luctu* &c. *Divina*, inquit, *Scriptura loquitur*, in *Ep. 34. ad Jul.* qui tamen alias ipse negat, eundem esse *Canonicum*. Sic *Augustinus* libros *Maccabeorum* appellat *Scripturam L. H. c. Gaudentium c. 23.* & tamen eodem loco fatetur, eosdem non haberi a *Judæis* sicut *Legem*, & *Prophetas* & *Psalms*, quibus *Dominus* tanquam testibus suis perhibuerit testimonium. Imo vero scriptis etiam prorsus *suppositiis* id honoris nonnunquam largiti sunt. Etenim *Irenæus L. IV. c. 37.* & *Tertullian. de Orat. f. 660. ed. Paris.* *Hermae Pastorem Scripturae* dignantur titulo, *Epiphanius* autem fragmentum *Constit. Apost.* nominat *Θεῶν λόγον καὶ διδασκαλίαν*, hæc. *LXXX.* Eandem in sententiam *Librum Sapientia* *Tertullianus S. Scripturam* & *auctar vitæ Euthymii* *ἱερὰ λόγια* appellavit. *Causa* tantæ liberalitatis inprimis, qua *Apocryphos* fuit, quod ii uno cum *Canonicis* Volumine comprehensi in conventibus publicis, perinde ut *Canonicis* prælegebantur. Hinc *Wittenbergenes T. I. Disp. III. n. 39. p. 131.* *Nonnunquam Sapientiam Salomonis* & *Ecclesiasticum* &c. *sanctas* & *divinas Scripturas* dicere minime dubitamus, & *Patres*, quoties aliorum collaudant scripta, vocant ea *sancta*, & *divina*: quantumvis scirent, *epitheta illa κατ' ἐξοχὴν* deberi solis *Canonicis Scripturae* libris atque *litteris*: ἐπινοµένως tamen aliis etiam scriptis accommodari, quæ rerum sacrarum & *divinarum* explicationem continent cum *Canonicis* scriptis consentientem. Itaque si vel maxime *Tertullianus*, *Justinus*, alii, *Scripturas*, *Sacras*, *Divinas*, dixerint vel *Sapientiam*, vel *Ecclesiasticum*, ex eo tamen pro *Canonicis* vel haberi debere, vel ipsos etiam habuisse, nondum evincitur.

§. XII. Interim urgebitur inprimis *Augustini*, *Hipponensis* *Episcopi*, testimonium, qui in *Spec. ex V. T. & L. II. g. de D. C.* libros *Apocryphos*, ac speciatim *Sapientiam* & *Syraciden* pro *Canonicis* reputat; *Libro autem I. de Predest. c. 14.* diserte negat, rejicere licere *Oraculum*, quod *Ecclesiæ* prælegatur e suggestu &c. *Resp.* Non est credibile, quo tempore *Hieronymus* *Sapientiam* in *Ca-*

none esse negavit, *Augustinum* eandem in Canonem retulisse. Causa igitur diversitatis hæret in *Vocibus*. Alio quippe sensu *Canonicos* & *Apocryphos* *Hieronymus*, alio *Augustinus* accepit. *Hipponensis* *Canonicos* appellat, qui possunt in *Christianorum* *Ecclesiis* legi, ut ex iis sumantur virtutis documenta, & pietatis exempla. *Apocryphos* autem non eos, qui legi in *Ecclesiis* possunt ad ædificationem plebis, etsi ad confirmationem dogmatum non adhibeantur; (quo sensu vocem *Hieronymus* in *Præf. in L. Salm.* sumpsit;) sed qui fabulis multis, falsisque referti sunt. Sic enim ipse *Augustinus* de *Civ. Dei* L. XV. c. 23. *Omittamus*, inquit, earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur. — in quibus etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est *Canonica auctoritas*. Et c. *Adamant.* c. 17. *Manichei* inquit, legunt *Scripturas Apocryphas*, ubi per *Apocryphas* non nisi *subiectas*, *spurias*, *dubiasque* & *fabulosas* intelligit. Ceterum laxasse eum non nihil vocis *Canonice* significatum, quando *L. Sapientia* & *Syraciden* *Canonicos* appellavit, ex eodem, quo de disputatur, loco, evinci potest. Fateretur enim hos libros non inveniri in *Canone Ebræo*, etsi recipiantur ab *Ecclesiis Christianis*: mox autem eodem loco (*L. II. de Doctr. Christ.* cap. 8.) subjungit: *Tenebit Lector hunc modum, in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat iis, quas quedam non recipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas, quas plures, gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesia tenent.* Idem de *Civ. Dei* L. XVII. 20. inter *Canonem Ebræum* & *Occidentalis Ecclesiæ* distinguit, simulque largitur, minus esse firma quæ non extant in *Canone Ebræorum*. *Libro* autem *XVIII.* 36. negat *Libros Maccab.* ad *Scripturas Sanctas*, quæ *Canonicæ*, appellentur, pertinere: etsi propter *passiones* *martyrum* ab *Ecclesia* pro *Canone* habeantur h. e. ad *ædificationem* *plebis* publice prælegantur. *Conf. Wittenb. T. I. Dissp. III. n. 34 seq. p. 150.* qui collatis aliis *Augustini* effatis eundem significatum vocis *Canonicorum* laxasse, clare docent. Idque vel *inde* liquet, quod inter eos discrimen aliquod ratione auctoritatis agnoscit. Quod si vero omnes tantæ esse fidei & auctoritatis sensisset, quantæ sunt *Prophetica* & *Apostolica* scripta, nunquam *Lectori* liberum reliquisset, ut *hujus* vel *illius Ecclesiæ* præjudicium sequere-

queretur, sed universos procul omni controversia vel dubitatione suscipiendos esse statuisse, ut loquitur. *Wittaker. T.I. L.I. de S. lit. f. 74.*
Vti enim Θεορευσις gradus nescit; sic resultans inde Canonica & divina auctoritas inæqualitati non est obnoxia. Sed satis de distinctione Hipponensis Episcopi: Nunc videamus qua mente productum e L. *Sapientie* locum *L.I. de Prædest. Sanct. c. 14. T.VII. p. 565.* rejici debere negaverit. Allegaverat nimirum Augustinus Verba e c. IV: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus* & c. Reclamatum autem fuit a nonnullis qui aderant fratribus, non fuisse de Libro Canonico adhibitum testimonium. Quod quidem illi, ceu pii & docti, & in Scripturis exercitati minime fuerant facturi, si illius libri auctoritas perpetuo fuisset in cœtu diviniore Canonica, hoc magis, quod ostendebant, sese non esse repugnaturus, siquidem Augustinus, id, quod attulerat, præcedentibus Catholicis tractatoribus placuisse, evinceret. Neque vero Augustinus, quod alioqui in tanta temeritate & audacia fieri debuit, eosdem hoc nomine acerbius castigavit, sed probaturus bonitatem libri: *Quasi vero, ait, excepta hujus libri attestazione res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri.* Concludit: *Oportet, ut istum Librum Sapientie omnibus tractatoribus anteponas.* Quod nos ipsi non diffitemur: Interim ex hoc liquet. α.) Fratres illos L. *Sapientie* non habuisse pro Canonico, alioqui citante illum Augustino non reclamassent. β.) nec vetustioribus fuisse receptum: ad horum quippe consensum est provocatum. γ.) Augustinum illud non potuisse negare, alioqui increpuiisset gravius. Quod autem Episcoporum, fidelium, Laicorum, penitentium, Catechumenorum confessionem illis opponit, ideo facit, quo non esse tam facile hujus Libri sententiam repudiandam pervadeat, quoniam, ut ipse ait, *meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesie Christi tam longa annositate recitari, & cum veneratione divine auctoritatis adiri.* Quo pacto idem ille infirmat, sese Librum illum non tam pro Canonico dogmaticæ confirmationis, quam *Ecclesiasticae Lectiois* habere, ut adeo Arnoldus hujus sese auctoritate non magis, quam aliorum Patrum, defendere posse videatur. Interim horum testimoniis & consensu non parum roboris causæ suæ accessisse persuasum habet quum eiusdem, quænam Ecclesie omni tempore de hoc libro sententia fuerit,

fuerit, constare possit. Man könne/ inquit, daraus sehen/ was
 die Kirche NB. stets von diesem Buche gehalten. Quod si vel
 omnes, vel adducti saltem ab ipso, Patres revera facerent pro ipso,
 tum vero de antiquitatis suffragio jure quodam gloriari posse vi-
 deretur. Nunc ubi vix unus & item alter specietenus ipsi patro-
 cinantur; ceteri manifesto dissentiant: utri sententiæ Patrum
 sit vindicandus consensus prudentioribus judicandum relin-
 quo. Etenim universam nobiscum Antiquitatem facere a *Ca-*
lorio, Schrödero, Rainoldo, Wittakero, aliis, jamdudum probatum
 fuit, speciaticque *Calovius*, eundo per omnia inde a C. N. secu-
 la, duos hosce Libros nunquam pro Canonicis in rigore talibus
 habitos, vel etiam Canoni Ebræorum insertos fuisse testimoniis
 luculentis solidisque evicit. Quod quidem eo usque verum
 est, ut ne ipsi quidem Pontificii, utpote *Melch. Canus in Man. c. l.*
qu. l. p. 3. & *Nic. Serar. in Prol. Bibl. c. 8. qd. 19.* Canonicam eo-
 rundem auctoritatem longius, quam ab Innocentii Papæ tem-
 poribus, & initiis Sec. V. arcessere audeant, atque adeo vel inde
 satis validum pro causâ sua argumentum ducunt Doctores
 nostri, quod alias sequeretur: hos libros plus, quam mille an-
 nis, procul auctoritate Canonica jacuisse, quod de divinis Sacris
 literis, NB. *sine scelere* affirmari non potest iudicio *Wittakeri*
l. c. f. 66. b.

§. XIII. Jungit Augustino Arnoldus Concilium *Sardi-*
ense, ad quod ideo cum *Bellarmino* provocat, quia testibus *hisp.*
Trip. l. IV. 24. & *Theodorito l. II. 6. ex Cap. VII. l. Sapiencia* Chri-
 sti divinitatem ostendit. Mirum autem, fanaticum hominem
 illius sese Concilii auctoritate in tanti momenti negatio tueri
 velle, cui quotquot interfuerunt, in sua de hæresibus fabula, (Hi-
 storiam enim non ausim dicere) inauditæ propemodum mali-
 tiæ arguit, dum eosdem homines innocentes, in his *Basiliæ An-*
cyranum, ob pietatem odio habuisse, in suamque potestatem re-
 dactos indigne tractasse memorat. Sic enim habet *Arnoldi*
 eodem de Concilio Judicium: *Es ungleich handelten sie mit*
denen, die sie unter ihre Gewalt bekommen/ und NB. ihrer Fröm-
igkeit wegen ansehdeten/ wie von diesen (Basilio) gesagt wird.
*Eidem præfuisse *Osium Cordubensem* constat, quem tamen ut*
hominem ambitione curgidum, vagabundum, crudelem, in religione

vertumum, demum *Apostatam* idem ille Hæresiologus descripsit l.c. f. 184. & 146. Quid igitur auctoritatis illius Concilii testimonio inerit, quod, si vera nobis retulit Arnoldus, *hominum sceleratorum colluviem*, quam *Patrum Sanctorum Synodum* verius appellaveris? Sed esto illius hoc in negotio sententiam non oportere contemni: frustra tamen ex eo pro Canonica librorum controversorum auctoritate concluderis. Quid enim? Annon a.) *Paulus & Judas* Apostoli e scriptis partim *Apocryphis* partim *ethnicis* argumenta sumpserunt, quod supra monuimus? b) Patres in confidibus cum Ethnicis omnis generis arma pro veritatis defensione adhibuerunt. *Irenæus, Clemens Alex. Theodoritus* alii cum hæreticorum, tum profanorum scriptorum testimonia pro se allegarunt, quæ tamen ideo minime omnium pro Canonis habuerunt. V. d. *Rain. in Cens. Libr. Apocr. p. 141.* Valeat h. l. illud *Augustini de Civ. DEI L. XVIII. c. 47. Quisquis alienigena* i.e. *non ex Isr. vel progenius, nec ab illo populo in Canon. m. S. Librorum receptus legitur aliquid Prophetæ de Christo, si ad nostram notitiam venit, aut venerit, ad cunctum a nobis commemorari potest: non quod necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongrue creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsæ sunt. Sardicenses autem c.) non habuisse hunc librum pro Canonico e statu illorum temporum, habitaque illorum, qui interfuerunt, ratione concluditur. Post *Osium Cordubensem* primarias eo in concilio partes *Athanasius* tenuit. Hic autem in *Synopsi L. Sapientie, & Synaciden* a Canone removit. *Eusebius Cesareensis* non modo aliorum de Canone Christianorum, Ebræo conformi, utpote *Josephi, Origenis, Melitonis*, sententias retulit, sed suo etiam suffragio confirmavit H. E. L. VI. 12. *Cyrillus Hieros. in Catech. L. IV. p. 98.* non modo Ebræorum Canonem comprobatur, sed & illos qui augere & extendere sustineant, reprehendit. *Epiphanius de pond. & mens.* cum nominasset utrumque: καὶ ἀνταίαι, *χρησμοὶ μὲν εἰσι, καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀπιστίαν ῥητῶν,* (i.e. *Canonicorum, quos modo recenserat*) καὶ ἀναφέρονται. Sic *Gregor. Naz. in Carm. de genuinis Scripture partibus: Rufinus in Expos. Symboli* (ne quid de *Hieronymo*, toties allegato addam) non alios, quam Ebræorum Canone comprehensos, reiecit*

D

Apocry-

Apocryphis, admiserunt. Hinc ipse *Sixtus Senensis* fatetur, istis temporibus nondum liquido fuisse cognitam Canonice illorum librorum auctoritatem donec id sit factum in *Synodo Carthagenensi*. At, inquis, *Augustinus* tamen in *Speculo*, nec non *L. II. de Doctr. Chr. c. 8.* & post hunc *Isidorus Hispalensis L. VI. Orig. c. 1.* Libros *Sapientie & Ecclesiastici* ab *Ebrais* quidem in *Apocryphis* habitos, a *Christianis* vero inter *Canonicos* relatos esse testantur. *Origenes* autem, si *Huetio* in *Observ. ad Eund.* p. 49. credendum, *Ecclesiastico* etiam *Judeos* *Canonicam auctoritatem* tribuisse confirmat. Respondetur. Quicumque Libri ab *Ebrais* reje^{cti} & improbati fuerunt, hos inter *Canonicos* non oportere referri, supra ostendimus. Quinam enim ad *V. T.* pertineant, non *Christianorum*, sed *Judeorum*, confici suffragio debet, quoniam *his* non *illis*, credita sunt τὰ λόγια τῶ Θεῶ. Itaque *Augustinus* hos duos *Propheticos* quidem nominat, sic tamen, ut e vestigio addat (de *Doctr. Chr. l. c.*) *Propheta* sibi vocem *improprie* accipi. Qua mente vero *Canonicos* appellavit obscurum esse non potest, idque ex verbis *D. Antistitis* facile liquet, hanc quoque ab illo laxatam vocem: *Canonicosque* non qua *dogmatum confirmationem*, sed *Ecclesiasticam lectionem* dictos fuisse. Etenim libros, qui sic vocantur, *Apocryphos* in *Ebraeorum* *Synagogis* recitatos esse non legimus: In *Christianorum* tamen scholis templisque *prælectos* fuisse invenimus. Eo igitur respectu recte dicuntur ab *Ebrais* reje^{cti}, a *Christianis* vero, ut loquitur *Hippontensis*, in *auctoritatem* recepti. Atque hanc quidem *Patrum* illorum sententiam fuisse, vel ex illo evincere mihi liceat, quod & iisdem temporibus alii negarunt esse *Canonicos*, & alioqui *Ecclesia Christiana* potestatis suæ limites excessisset. *Vti enim non fuit in potestate Ecclesie N. T.* facere *Canonem V. T.* ita nec augere, acute infert *Calovius* in *Crit. S. c. I. p. 16.* Eleganter hac de re *B. Schröder* l. c. n. VIII. p. 145. *Ecclesia*, inquit, *posterior* non potest eximere nevos illos, ob quos antiquior *Ecclesia*, qua illos *justo* notavit *judicio* e *Canone* *Libros aliquos seclusos* voluit. *Nec ipse suo judicio potest facere divinum, quod in sese divinum non est.* Quod autem in sese *divinum* non est, idem ne quidem *Canonicum* esse potest.

§. XIII. De *Syracide* speciatim illud tenendum est, quod eum abfuisse a Canone Ebræorum Veteres magno consensu tradunt, unde & *Arnoldus* vix unum & item alterum pro eo posuit producere testimonium. Reliqui omnes iique præstantiores *Athanasius*, *Epiphanius*, *Basiliius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, locis maximam partem allegatis, omnes dissentiunt. Vid. *Calovius*, *Schröderus*, *Wittakerus*, *Rainoldus* ll. cit. *Origenes* ipse, ad quem prope unum *Arnoldus* se recipit, eundem in Canonicis nusquam recenset, etsi petitam ex eo sententiam in homil. ad *Matth.* f. 286. ed. *Colan.* nov. ἐν τολῆν nominavit. Quod uti pridem est observatum a Nostris, sic diffiteri *Sixtus* in *Bibl. L. VIII. her. 9. p. 810.* non sustinuit: Quin imo ne *Judæos* quidem eundem, ut Canonicum, admisisse, quod vult *Huetius*, docuit nunquam. Verba *Origenis*, in *Comment. ad Matth.* f. 481. ad quæ respexit *Episcopus* hæc sunt: *Judæi*, utpote peculiarem, secundum Legem *Mosis*, doctrinam, & diversam a Gentium instituto vitæ rationem tuentes, καὶ δόγματα ἔχοντες τὸ λέγον. ἕως θανάτου ἀγωνίσαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος πολεμήσει περὶ σὺς, ἀντίσταστο τοῖς κρατοῦσιν αὐτῶν ἔθνεσιν &c. Jam etsi illud, ad quem provocat, δόγμα *Eccles. IV. 23.* legatur, ex eo tamen, Librum ceu Canonicum fuisse admissum elici non potest. *Origenes* enim dicit *Judæos* dogma illud ex *Ecclesiastico tenuisse*: h. e. defendisse, vitæque & moribus expressisse: Librum ipsum pro Canonicum habuisse non dicit: Observabant etiam δευτερώσεις, & placita Majorum, *Marc. VII. 3.* *Luc. XI. 38.* nec tamen ideo referebant in Canonem. Si quid etiam reverentiæ Libro illi a *Judæis* illorum temporum fuit exhibitum, id receptæ, apud *Hellenistas* saltē, qui plerorumque Apocryphorum auctores erant, lectioni, non auctoritatis *Canonice persuasioni* fuerit tribuendum. Conf. *Heidegger. Enchir. L. II. c. I. p. 489.*

§. XIV. Hæc de testimoniis *Veterum*. E recentioribus, præter *Bellarminum*, *Clichtonem*, *S. Senensem*, *Huetium*, Pontificios Scriptores, quem sua pro sententia, ex iis, qui repurgata sequuntur Sacra, adduceret, habuit neminem. Nam quod ad *Barthium* attinet, cujus sese initio auctoritate munire conatus est, ejus verba vernaculo sermone sic reddidit, ut ea, qua solet,



fide h. e. non bona, in iis versatus esse videatur. Verba quippe *V. Cl. in Not. ad Claud. Ruf. L. II. p. 1257. de Libro Sapientie* sic habent: *Auctor Sapientie Salomonis recentior quidem est Rege illo sapientissimo. sed adeo illius virtutibus aquabilis, ut NB extra Canonem sacrorum voluminum, nullum unquam Librum viderim huic comparabilem.* Hæc M. Arnoldus sic reddidit n. 10. p. 15. Barchius habet frey bekandt/ daß er NB. nächst denen andern Büchern Heil. Schrift keines gesehen/ so mit dem Buch der Weisheit zu vergleichen wäre. Quali vero Barchius Sapientie Librum vel Scripturæ ipsi æquasset, vel in Canonicorum numerum retulisset. Atqui a.) Salomonem illius esse auctorem diserte negat. b.) extra Canonem Scripturæ collocat. Noster & illius auctorem Salomonem constituit, & h. l. contra expressa Polyhistoris verba, eodem, quo Scripturam Canonicam numero habet. Quo ipso annon boni interpretis leges transilierit, ne quid dicam gravius prudentioribus iudicandum relinquo. Nobis interim in mentem venit mirari, cur non ad eorum quoque, in tam arduo argumento, suffragia provocarit, quos alioqui fidei religionisque socios habet, *Anabaptistas* puto. Horum quippe Anresignanus *Memo. Simonis in Summar. P. II. p. 22.* cum alios, quos vulgo in Apocryphis numeramus, tum speciatim *L. Sapientie & Syraciden* pro Canonicis agnovit, ipso laudante *Arnoldo Haresol. L. XVI. c. XXI. ff. 269. 270.* Cumque horum alioqui placita, quod ex scriptis illius patet, probet ac amplectatur. Noster, utpote in *contemptu templorum, & publicorum congressuum, in rejiciendo bello, etiam licito, in defensione restitutionis rerum omnium, imo vero in impugnando pædobaptismo, quem totius Anabaptisticae religionis nervum merito dixeris, cur non etiam eorum hac in causa consensum pro se allegat? Scilicet intererat nostri dissimulare illum ne proderetur iniquitatis mysterium: Satius videbatur, veterum sese, validis specie tenus, testimoniis munire. Interim iratior Nostris Sanctulus ingentis ciet fluctus in simpulo, eosque omnes irrogentios, & nos modo dicitur nominat, quotquot ab ipso dissentiant, ut qui non modo divina libros auctoritate spolient, sed & erroris non unius pro innata rationi, DEO ipsi rebellanti, malicia insimulent. Es sey ein Brevet/ so der teich sinnigen/ und*

GDt

Gott selbst widerstrebenden Bernunft gewöhlich. Nimirum familiaris hæc est, ac prope solennis animi impotentia in fanaticis, ut *lædi se putent, cum regnare non possunt*. Dissentire ab illis magna injuria, magnum crimen. Carnales, impij, profani, refractarii, contumaces, in Deum ipsum rebelles appellantur, quotquot dictatorias eorum, per sæpe absurdas sententias recipere abnuunt. *Ipsi*, cum pro lubitu suo propalare & disseminare somnia prohibentur, Christianam tolerantiam infringi, & nescio quâ tyrannide suas opprimi conscientias quiritantur: *Nostri*, ubi colludere in mendatio reculant, contumaces ac refractarii: cum fanaticos ipsos errorum suorum convincunt, *hereticos* audiunt. Egregium tantæ improbitatis exemplum h.l. exhibet Arnoldus. Universam DEI Ecclesiam, qua V. qua N. T., veritatis custodem ac vindicem, hos libros nunquam pro Canonicis in rigore talibus, & ad confirmationem dogmatum adhibendis habuisse supra docuimus. Arnoldus eo usque progreditur impudentiæ, ut eos omnes pro carnalibus, & *νοσσοδιδάκτοις* habeat, & alicujus cum Judæis collusionis arguat, quotquot hos libros, seu Canonicos admittere abnuunt. Id facinus merito quidem suo Heideggerus l. c. p. 494. *insaniam* nominavit: ego molliore vocabulo, *temeritatem* dicam: quam, si qui unquam, fanatici certe, quis nihil est nimium, in statuendo, produnt. Enimvero tot *Ἰσραηλῖταις* Israelitas, tot Apostolos, & Apostolicos Viros, tot Veteris, tot recentioris, ac repurgatæ Ecclesiæ Doctores in his *Lutherum, Bugenbagam, Brentium, Chemnitium, Gerhardum, Arndium* ipsum & quos non? qui hos libros inter Apocryphos retulerunt, *νοσσοδιδάκτοις* per contumeliam dicere, nec *οἰστάντες* solum, sed & *μαλιτῆς* ejusdam arguere quantæ quæso indignitas? Temperare mihi vix possum quin hominem, iisdem queis Conciliabulum Tridentinum B. Calvinus Crit. s. p. 32. verbis excipiam: *Quid hic homuncio ad tantum chorum Patrum antiquissimorum, Episcoporum, & Doctorum præstantissimorum? quid ad constantem minimeque interruptam omnium seculorum traditionem Ecclesie Christi? Quid ad Concilia vetera & noviora, cum generale, cum particulari? Quid ad suffragia totius Orientis, tempore Apostolis maximo vicino? Quid ad authenticationem minime dubiam Ecclesie Ebrææ? Quid ad consensus Christi*


Christi & Apostolorum? Quid denique ad in vilita argumenta pro
Canone nostro militantia? Equidem jejuna, sinistra, stolidia ea esse
existimat; At enim vero de horum recte judicare pondere ac
momento, aliorum est, non *Arnoldi*. Obvertit: *Chariores tam-*
en & pretiosiores Christianis esse debebant luculentia essentialis DEI
Sapientia descriptiones, quam ut in gratiam Judaeorum infidelium de-
ferantur: Es solten / inquit, die vortreflichen Zeugnisse und Be-
schreibungen von der wesentlichen Weisheit Gottes denen Chris-
ten viel zu theuer und unverwerflich seyn / als das man lieber NB.
mit den ungläubigen Jüden hierin einstimmen / denn die einmahl
besiebtten väterlichen Sägungen und Traditiones veriaffen möch-
te. n. 20. p. 18. Sed respondetur: Non erat cur hos Libros a no-
bis contemni scriberet. *Apocryphos* esse, explorato scimus: *Ca-*
nonicos facere, non magis, quam ex humanis *Divinos* reddere,
possumus. Nos tantum ipsis honoris & dignitatis, quantum
debetur, relinquimus: Plus, quam merentur, tribuere, super-
flitiosum magis & temerarium, quam pium & Christianis ho-
minibus dignum judicamus. Valeat & hic *Terentianum* illud;
Ne quid nimis, idemque a *leo* de illis, quod de *B. Virgine Epiphani-*
nius, censemus: *Sit in honore Virgo*; sint in honore Libri *Sapientia*
& Syracides, sed ne adoretur, ne pro *Divinis & Cano-*
nics habeantur. Praeclare & eleganter de *Sapientia* scripsisse
Auctorem admittimus, de *essentia* tamen & *increate* nega-
mus. De *creata* enim & cum hominibus *communicata* locutus
fuit. Vnde & *B. Lutherus* in *Pref. Librum Sapientia* reddidit:
Librum de Verbo Dei. *Errores* autem nonnullos dum in iisdem
notant nostrates, nihil se indignum, vel etiam *veritati* ad versum
admittunt, quicquid etiam de *nescio* quo *rationis* furore, & er-
ga *Deum* *rebellionem* clamat *Fanaticus*. Etenim *Israelitas* c. X. 26.
Auctor *L. Sapientia* vocat *σπέσμα ἀμεμπτον*: qui tamen ab ipso
Mose dicuntur *τέκνα μαρμητά*. c. XV, 4. negat eosdem *seduxisse*
ἀνθρώπων κακότεχνον ἐπινοίαν, ἕτε *στυγῶν γραφῶν* &c. hominum
malæ artis figmentum, vel umbram picturarum. Quæ neque
cum *Salomonis*, neque cum *Philonis* temporibus satis consentiunt.
Conf. *Ab. VII*, 42. 43. 51. *Jer. XIX*, 13. *Amos. V*. 27. *1. Reg. XI* 5. 9. *Me-*
tempsychofin quoq; *Pythagoricam* & *Judaicam* sapit *Cap. VIII*,
20. cum dicit: *ἀγαθός ὢν ἤλθον εἰς σῶμα ἀμειπτον*: Bonus cum
esset

essem corpus impollutum intravi. *Cap. XVII.* tenebris in Ægypto spectra, sibilos, fragores horrendos aliaque id genus permista fuisse docet, de quibus altum est apud Mosen in illarum descriptione silentium. Conf. *Heidegg. L. II. 2. Enchirid. Bibl. p. 514.* Syracides autem uti se fallendi errandique periculo, similiter ut alios, obnoxium esse fatetur in Prologo, sic errores quoque, multo, quam, Auctor Sapientia, crassiores admisit. Verba enim ex *Prov. VIII. 22.* de Sapientia increata, ipsoque Dei Filio accipienda *Luc. XI. Matth. XXIII.* deceptus a LXX. Interpretibus de creata quadam Sapientia intellexit *c. XXIV. 12.* Porro non quendam sub larva Prophetæ cacodæmonem; sed Samuelem ipsum, Lamiæ artibus ab inferis evocatum Sauli apparuisse existimat *cap. XLVI.* Denique ut taceamus plures, verba, *Mat. IV. 3.* non de Johanne Baptista ut *Angelus Luc. I. 17.* & *Christus Marc. IX. 11.* sed de *Elia ipso*, exponit *cap. XLVIII. 10.* De quibus quidem multo gravissimis erroribus sic stavit *Rain. Conf. LL. Apoc. Præl. LXXXV. p. 386.* Quod, *primus* hæresi Arianorum, *Secundus* Necromantiæ, *Tertius* execrabili Judæorum errori, qui Christum hucdum venisse negant, patrocinetur.

§. XIV. Deniq; paulo commotior adversarius n. 22. & 23. regerit: *Hæc esse τῶν νοσμοδὶ δόκτων de istis libellis judicia, quæ quam sint inania, perversa, levia, facile deprehendi ab illis, qui corde humili a Patre ipso spiritum orent a quo cujus sint libri originis, divine, an humane, possint submoveri. Hos divina in iisdem eloquia & effat a facile invenire: Sæ certe singularem eorum, & non minorem, quam aliarum scripturarum, efficaciam deprehendisse, eaque de causa librum utrumq; a Veteribus πνεύματος, quasi nulla non virtute præditum, appellatum fuisse.* Resp. Deum pie invocatum per internum Sp. Sancti testimonium, & ob signationem de veritate Canonica Librorum divinatorum certiora reddere corda facile dederim. Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas i. Joh. V. 6. Interim hæc ipsa testificatio supponit, divinæ originis inexistenciam, quippe cujus de veritate cupimus fieri certiores per spiritum. Quam cum his, de quibus nunc disputatur, libris non inesse supra sit demonstratum, qui de eo, quod plane non est, testificabitur. Spiritus? Graviter hæc de re, pro more *Schröderus* disputat *l. c. n. VIII. p. 144.* Nemo inquit

inquit, potest obvertere Spiritus S. internam revelationem, & qua immediato perdiscat, Libros pro Canonicis recipiendos esse, qui ab Ecclesia superiore, & puriore a Canone fuerint expuncti. Opus enim foret miraculis, quibus Veritas istius immediata patefactionis demonstraretur: sed quibus Ecclesia præfens non minus hic destituta est, quam Ecclesia vetustioris retestificatione. Præsertim quod credibile non sit, posteriorem Ecclesiam Spiritus S. uberiorem naturam esse mensuram, quam antiquiorem, primitivam & Apostolicam Ecclesiam: ut illa ex immediato ipsius dictamine agnoverit, Libros aliquos esse Canonicos, quos antiquior ista tales esse ignoravit, ideoque ab auctoritate Canonica rececit. Quod si immediato dictamine tota nunc caret, Ecclesia, unum eo beatum fuisse fanaticum quis credat? Num quis perivaderi sibi patiatur hucdum talem Spiritus retestificationem intra sese expertum fuisse neminem, experiri Arnoldum? Num solus hic habet in potestate Spiritum? Dixerim hic cum Marnixio apud Hornb. in S. C. p. 333. Quoniam illi nos velint convincere suo Spiritu, noster quidni æque valeat adversus ipsos, certissime testans omnes illorum entibus ipsos esse vnos ac improbos. Frustra hic precum suarum ardorem pro se allegaverit adversarius. Num enim non perinde ardentem alios oravisse credibile est? Tum vero quis illius precibus multum momenti tribuerit, qui hucdum Sacra publica, verbique & Sacramentorum dispensationem ingenti supercilio despexit: Qui Servatoris sui divinitatem hostibus prodidit, homines pios, ac dudum in cælis triumphantes calumniis & mendaciis læsit: historiam omnem fœdisime corrupit, Ecclesiæ purioris non faciem, sed pudenda detexit, huiusque sordes ceu scarabæus, rimatus fuit, virtutes contra, vel obiter tetigit, vel prorsus dissimulavit: Qui denique hoc in argumento omnes a se dissentientes alicujus a veritate defectiois, & cum Judæis collisionis, adversus Deum rebellionis arguit, si tenique adeo omnem & charitatem pridem decoxit? Ego vero huiusmodi preces inter peccata retulerim cum Davide Psalm. CIX, 7. ac tum demum exauditum iri crediderim, quum illud e Scripturis: Peccatores Deus non exaudit Job. IX, 31. sublarum fuerit. Quod si hi libri revera essent Canonici, jam pridem Spiritus, in omnem nos veritatem deducens, ut iidem pro talibus essent ab Ecclesia agniti, effecisset. Quod cum per tot seculorum decursum factum non esse constet, totius certe Ecclesiæ Consensui, suum unius opponere iudicium, hominis est, ut Sedanenses loquuntur T. II. Diss. p. 892. insolentis ac temerarii. Nec sufficit, quod ex his ipsis libris, non minus, quam ex ceteris Scripturis, utilitatis & commodi simpliciores capere confirmari finaticus. Ut enim omnia omnium virtutum præcepta contineant morumque disciplinam mirifice juvent, unde & veteres appellaverunt (quod nominis tamen ab efficacia eorum, quasi nihil non efficere valeant. ineptissime deducit) illa tamen, quam præstat in usu efficaciam non divini originis, sed, cum Scriptura consensui, est adscribenda. Quam vero eodem his in libris gradu, quo in Θεοτευσιαι, conspicuam esse, tum demum firmiter credam, ubi receptum inter Canonicos & Apocryphos discrimen nullius esse momenti fuerit demonstratum.





Mug. VI 215

ULB Halle

001 923 099

3



TA → OL

VD 77 Z
VDR 12/100







28
102
9
L. D. B. V!
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATUS SAXONICI HEREDE,
ETC. ETC.

QVOD LIBER SAPIEN-
TIÆ ET ECCLESIASTICUS
PRO CANONICIS NON SINT
HABENDI,

CONTRA

G. ARNOLDVM,

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Extr.

repetita orthodoxorum sententia,
idoneis rationibus demonstrabit

AUCTOR

ANDREAS Schubert |
Elbingensis,

d. XXI. Decembr. Anni Acad. Jubil. cl^o 1^o coll.

WITTEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI GERDESII.

